

Georg Mejer   Martin Bambanius


## **Disputationum Physicarum Vicesimatertia. De Anima Sentiente, Eiusque Facultatibus**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742737004>

Druck   Freier  Zugang







57

R. U. phil. 1609. 10.


12 gyl.

35 1717











*Disputationum Physicarum*  
*VICESIMATERTIA.*  
DE  
ANIMA SEN-  
TIENTE, EIUSQUE  
FACULTATIBUS.

*Quam*

Divina adspirante gratia

In Inclita Academia Rostochiensi  
SUB PRÆSIDIO

*M. GEORGII MEIERI*  
*Duderstadenſis Saxonis.*

Tuebitur

MARTINUS BAMBAMIUS  
Pentzlinenſis Megapolitanus.

*Ad diem 4. Auguſt. horis & loco conſueſis.*

¶ ¶



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.



REVERENDO HUMANISSI-  
*mo atq; doctissimo viro,*

DN. JOACHIMO BAMBAMIO  
Ecclesiae Warnkenhagiensis pastori fidelissimo.  
Patruo suo dilectissimo.

NEC NON

SOLERTISSIMO PIETATE, INTEGRITA-  
*te, industria & usu rerum praestantissimo viro,*

DN. TOBIAE VULTURIO  
Pharmacopæo Warnæi industrio, Affini suo amanti.

VT ET

*Spectatissimis longoq; rerum usu praestantissimis viris,*  
DN. MELCHIORI FRANCOVIO  
Præfecturæ Schonovianæ inspectori solertissimo.  
DN. MATTHAEO HOLTORPIO  
præfecturæ Rumpshagianæ præfecto fidelissimo.

*Dominis, amicis, fautoribus ac promotoribus suis omni obser-  
vantia cultu prosequendis, hanc de Anima Sentiente-  
æææææ Physicam in perpetuum amicitiaæ æææææ  
æææææ & grati animi declarationem  
dat, dicat, consecrat,*

MARTINUS BAMBAMIUS  
Pentzlinenf. Megap.



DE ANIMA SENTIEN-  
TE, EJUSQUE FACULTATIBUS.

*Theorema I.*

Anima sentiens est actus corporis organici, quo illud objecta sensilia apprehendit & percipit.



Osteaquam de anima in genere, & in specie de vegetante superiori disputatione egimus, consequens est, ut ad anima sentientis considerationem accessum faciamus.

II. Actus dicitur anima sentiens, qui quid sit, etiam superius docuimus. Ab eo promanat facultas sensitiva, per quam anima apta redditur ad percipiendum *τὸ αἰσθητὸν*, & dicitur passiva quatenus cum organo complicata objectum apprehendit: activa vero quatenus id ipsum percipit atq; dijudicat.

*Theorema II.*

Anima sentiens in toto est corpore.

I. Quamvis secundum eminentiam anima sentiens magis sit in corde, quam reliquis membris corporis: tamen eandem etiam quoad informationem in toto corpore esse & reperiri statuimus.

1. Quia est forma. Forma autem totum informat corpus. 2. Quia ejus potentia dantur in toto corpore. Ubi autem anima potentia, ibi & ipsa anima: Sine hac enim illa esse non possunt. 3. Quia vita est in toto corpore. Ubi cunq; autem vita est, ibi anima est.



II. Hic vero obijcitur: 1. Quod non in omnibus partibus corporis organa idonea anima inveniatur, per qua suas functiones exercere possit, ut in partibus similaribus. 2. Quod parte una corporis abscissa, sequeretur & partem anima abscindi, qua tamen indivisibilis existit. 3. Quod anima maximè sit in corde. Cor enim sedes anima.

III. Verùm respondemus ad rationem primam, subjectum anima duplex constitui posse: unum proximum, corpus scilicet organicum; alterum remotius, partes similares qua organa componunt. In utroque tamen animam esse: in illo quidem *περὶ τὸν*: In hoc quantum ipsum corpus organicum constituit. Ad secundam, abscissa aliqua corporis parte, anima quidem operationem tolli, (perit enim instrumentum sine quo anima non agit) substantiam autem anima qua indivisibilis posita est, integrā manere & indivisam. Ad tertiam, animam ratione essentia cum omnibus suis facultatibus radicaliter quidem in corde esse, sed inde non sequi, in ceteris prorsus non esse. Est anima in corde magis, quam alibi, quia membra cuncta ratione prima originis vitam trahunt ex corde: Sed an ne propterea anima praesentia ijs: deneganda? Non valet illatio: Anima maximè est in corde. Ergo in reliquis membris non est. Quia comparativa oratio non negat id cum quo confertur, sed prerogativam saltem aliquam unius inducit.

### Theorema III.

Anima sentiens indivisibilis existit.

I. Quia in initio è partibus composita non est. Quicquid autem è partibus non est compositum, nec in partes dividi potest, cum unumquodque ratione partium è quibus componitur, dividuum dicatur. Deinde, quia non est corporea; non quantitas. Quicquid autem dividitur, corpus est quod ratione quantitatis dividitur.

Instit.



II. Instas, animam in membro à corpore divulso suas etiam-  
num retinere operationes, motum scilicet & vitam, ut in linguâ  
bovis probat Cardanus. Anima igitur partem adesse oportere. Sed  
respondet Scaliger, non animam sed calorem & sanguinem causam  
esse istius motionis. exer. 346. Quia enim subito mutatio fieri  
non potest, & in profecto membro adhuc sanguis manet & spiri-  
tus, quidni etiam manebit vita & motus, cum lapidem etiam mo-  
veri videamus, manu proijcientis quiescente?

Theorema IV.

Facultas sensitiva ab anima sentiente pro-  
ficiscens, quatenus objectum recipit, passiva  
dicitur.

I. Haud levis est inter Physicos de hoc theoremate controver-  
sia. Sunt qui sensum potentiam passivam; sunt qui activam eam  
esse volunt. Quamvis vero controversia hac tota decidi unicâ illâ  
adhibitâ distinctione, quam statim in explicatione theorematâ  
adhibuit, possit: tamen quia non desunt nullo modo sensum  
potentiam passivam rectè dici qui autumant, placet eorundem  
argumenta in medium adducere, adductâq; ad trutinam veritatis  
appendere atq; examinare, si prius sententiam nostram sat muni-  
tam dederimus.

II. Rationes ergo nostra sententia hæc sunt: 1. Quia sensus  
fit cum alteratione subjecti, in quo fit actio. ἡ δὲ αἰσθησις ἐν τῷ  
κίνησει. τὰ τε ἄλλα καὶ οὐκ αἰσθησις, δὲ οὐκ αἰσθησις ἐν τῷ  
Arist. lib. 2. de anima c. 5. t. 51. Quod autem fit cum alteratio-  
ne subjecti, fit cum passione. 2. Quia sensus excitatus ab objecto  
sensibili agit. Hinc enim illud vulgatum, quod objecta moveant sen-  
sus. Si itaq; objectum est movens, erit sensus mobile. Movens vero  
est agēs, & mobile patiens, ideog; & sensus pati, non agere dicitur.

III. Argumenta eorum qui contrariam sententiam amplectun-  
tur



iur hac sunt: 1. Quod fit patiēdo, fit cum dolore. Atqui sensus  
 non fit cum dolore. E. 2. Discernere est agere, non pati. At-  
 qui sensus discernit & dijudicat suum objectum. E.  
 LV. Respondemus vero ad argumentum primum distinguen-  
 do inter potentiam passivam qua comparata est ad ἐνέγχειας: &  
 qua ad ἐπιθυμίας. Illa fit cum voluptate, quia omnibus rebus natura  
 hanc ingeneravit indolē, quod sui quarant perfectionem. A Scho-  
 lasticis Dd. barbarē appellatur passio salvativa. Hac vero cum  
 dolore: Omnia enim naturā sui aversantur destructionem &  
 interitum. Et dicitur aliās passio corruptiva. Ad secundum di-  
 stinguendo inter receptionem & dijudicationem sensus. Illa  
 est passio, quod enim fit recipiendo, fit quoq; patiēdo: hac actio,  
 quia dijudicare est agere. Et hoc est quod principio diximus, fa-  
 cultatem videlicet sensitivam dici passivam quatenus objectum  
 apprehendit: activam quatenus idipsū percipit atq; dijudicat.

Theorema V.

Sensile sive id quod sensu percipitur est  
 triplex: commune, proprium, & ex acciden-  
 ti. Arist. lib. 2. de anima c. 6. t. 63.

λέγειται δὲ ἰνὸν Φιλοσοφῶν τὸ αἰσθητὸν τριπλῶς. ὡν δύο  
 μὲν καὶ αὐτὸ φασὶν αἰσθητὸν, τὸ ἓν καὶ κοινὸν πάντων. τῶν  
 δὲ δύο, τὸ μὲν ἰδίον ἐστὶν ἐκείνης αἰσθησεως, τὸ ἕτερον πάντων.  
 Proprium est, ὃ μὴ ἐνδέχεται ἕτερον αἰσθητὸν αἰσθητὸν, καὶ τῷ  
 ὃ μὴ ἐνδέχεται ἄποτυπῆναι, quod alio sensu sentiri nequit, & circa  
 quod non contingit decipi. Arist. ibid. Sed tamen si error contin-  
 gere non debet, neq; cetera requisita negligi debent, ut sunt me-  
 dium adaequatum, justa distantia, & organi dispositio necessaria.  
 Sensilia communia sunt κίνησις, ἡρεμία, ἀριθμὸς, χῆμα, μέγε-  
 θος. τὰ δὲ ταῦτα ἑδμενίως ἐστὶν ἴδια, ἀλλὰ κοινὰ πάντων, καὶ  
 τὸ καὶ αὐτὴ κίνησις ἐστὶ τῆς αἰσθητῆς, καὶ ὅψις. καὶ αὐτὸ μὲν ἐστὶ



ἐστὶν αἱ δὴ τὰ ταῦτα, motus, quies, numerus, figura, magnitudo  
 qua quidem per se sentiuntur, non tamen huic aut illi sensui pro-  
 pria esse possunt, quod per plures dijudicentur. Idem ibid. t. 64.  
 Per accidens sensile dicitur id, quod non per se, sed per aliud senti-  
 tur, οἷον ἐὶ τὸ λευκὸν ἐν διαφάνει καὶ συμβεβηκὸς πρὸς τὴν αἰσθη-  
 τήν. Idem ibid. t. 65. Notandum vero non res ipsas, sed species  
 rerum sentiri. Arist. lib. 2. de anima, c. 12. t. 121. Scalig. exer. 298.  
 sect. 14. qua sunt qualitates intentionales, objectum sensile repræ-  
 sentantes. Ubi tamen non illam intentionis significationem acci-  
 pimus, quæ intentionalia dicuntur ea, quæ rebus opponuntur, ut  
 sunt notiones secunda: sed potius spirituales intelligimus qualita-  
 tes, quæ intentionales ob immaterialitatem, ut ita loquar, vocantur.  
 Nam res non est in oculo: Nihil sane melius, quam lapis in specu-  
 lo. Sequeretur etiam absurdum illud, quod eadem res numero esset  
 plures res, à pluribus enim videri dicitur. Scal. ibid.

### Theorema VI.

Sensuum organum, vulgò quod senso-  
 rium appellatur, est pars corporis à natura ad  
 sensum perficiendum ordinata.

Eius officium est species ab objecto sensili ad se transmissas recipere.  
 Estque vel commune, vel proprium: Commune est, quod omnibus  
 aut saltem multis ex aequo inservit, statuiturque secundum Medicos  
 cerebri, secundum Peripateticos cor. Utrique in eo con-  
 veniunt, istud esse sensorium commune, quod sensus, motus, ac ner-  
 vorum principium. Istud vero & cor & cerebrum, diverso tamen  
 respectu rectè dici posse, præcedenti disp. 21. docuimus. Cor quidem  
 ratione radicationis, cerebrum vero ratione propagationis. Quem-  
 admodum igitur cor primum dicitur sensus ac motus principium:  
 cerebrum vero secundum: Sic & illud πρῶτως dici potest senso-  
 rium commune: hoc δευτέρως. Proprium sensorium est quod  
 uni



uni duntaxat sensui inservit. Sic visus sensorium est oculus; auditus auris.

### Theorema VII.

Inter objectum sensile & organum sensorium, interpositum debet esse medium. Arist. lib. 2. de anima c. 7. t. 74.

Illius officium est speciem ab objecto sensili sibi impressam ad sensorium vel commune vel proprium transmittere. Et sine hoc nulla fieri potest sensatio: Etenim si objectum sensile, verbi causa, liber immediatè super oculos ponatur, legi non potest. Sed tamen neq. nimis remotum à sensu objectum esse debet: sic enim nec idè liber legi poterit. Justam igitur inter sensile & sensorium distantiam intercedere oportet. Hactenus de affectionibus sensuum in genere, in specie nunc de ijs agendum.

### Theorema VIII.

Sensus sunt vel exteriores vel interiores.

Illi objectum sensile prasens, externo corporis organo, per medium idoneum apprehendunt. Hi vero objectum tam prasens quam absens organo interno percipiunt.

### Theorema IX.

Sensus exteriores sunt quinque: Visus, auditus, odoratus, gustus & tactus. Arist. lib. 3. de anima c. 1. t. 128.

Contra quinarium sensuum externorum numerum esse videtur tam Aristoteles ipse, quam vera ejus soboles Iulius Scaliger. ille quidem unum detrahendo: hic vero addendo. Aristoteles enim lib. 2. de anima c. 10. t. 101. τὸ ἴπεσον inquit ἐστὶν ἅπασιν. Si ergo gustus est idem quod tactus, necessariò alteruter supervacaneus



neus erit. Scaliger vero titillationem veneream sextum sensum agnoscit, exer. 286. sect. 3. Sed salva res est, Philosophus enim tantummodo docet gustum cum tactu conjunctum, non vero idem esse. Est cum calore siccitas conjuncta, neque propterea siccitas est calor. Deinde licet concedatur gustum esse tactum: tamen tactum gustum esse concedi nequit: Nam non omnis tactus est gustus, ideoque etiam non quatuor, sed quinque à Philosopho sensus lib. 3. de anima. t. 128. constituuntur. Scaligerum quod attinet, eum titillationem veneream non tam sensum esse, quam affectionem quandam sensum consequentem voluisse judicamus, praesertim cum exer. 297. sect. 2. & seqq. non senarium, sed quinarium sensuum numerum demonstrat.

### Theorema X.

Visus est sensus exterior, objectum visibile percipiens. Arist. lib. 2. de anima c. 7. t. 66.

I. Quamvis auditus ratione utilitatis visui merito sit praefertendus, quippe qui ad excipiendam ab alijs artem, scientiam, sapientiam accommodatior. Scalig. exer. 298. sect. 6. Attamen ratione jucunditatis ac necessitatis visum auditu praestantior judicamus. Visus ad vita commoda maximè necessarius, ac praeterea ad disciplinarum inventionem certissimus dux. Idem ibid. Ideoque ab eo etiam facimus initium.

II. Objectum visus est τὸ ὄρατὸν visibile, ut est color, Arist. lib. 2. de anima t. 66. qui est extremitas perspicui in corpore terminato. Arist. de sen. c. 3. Medium per quod color ad visum defertur est τὸ διαφανές perspicuum, quod tale redditur à lumine. Arist. lib. 2. de anima t. 67. Unde lumen definitur ἐπέγεια τὸ διαφανές ἢ διαφανές à Philosopho ibid. t. 69. Organum visus est oculus in quo praecipua pars, humor scilicet crystallinus primū visus organum statuitur. Arist. lib. de sen. c. 2. Reijcimus ergo opinionem Galeni, Platonis errorē ac Opticorum sequuti, qui visum

B

in igne



in igne esse situm volunt. Etenim istum in aqua esse constitutum, si membrum spectes, palam est. Aquea namq; pars existit illa, in quam species recipitur, quæ species impressa apparet in pupilla intuenti. Non igitur reflecteretur si igneum subjectum esset. Scalig. exer. 297. sect. 3.

III. Caterum de ipsa visione, utrum fiat per emissionem radiorum, an vero specierum receptionem graviter inter Platonicos & Aristotelicos disceptatur. Illi enim visionem per radiorum emissionem: hi per specierum receptionem fieri contendunt. Sententia Aristotelicorum subscribimus, moti his rationibus. 1. Quia visio fit in instanti: statim enim aperto oculo cælum videmus. Radij vero subito & in instanti per tantam sese diffundere distantiam non possunt. Hinc Scal. Corrigendi sunt ij, qui ex oculis radios ad cælum usq; evocatos momento temporis subvexere. exer. 298. sect. 16. 2. Quia visus apprehendit objectum in nativa sua magnitudine. Qui vero tanta potest esse spirituum in oculo copia, quantum objectum est sensibile? Undiquaq; enim spiritus sive radij montem quam intueor immensum ferire deberent, si oculo exirent. 3. Quia si per emissionem radiorum sensio fieret, res maxime distantes videremus. Experimur enim aciem oculorum objectum quatuor vel quinq; milliaria distans comprehendere. At spiritum me hercule oportet radiorum esse diffusionem, quæ tanto locorum intervallo fieri possit.

IV. Sed hic certissimum nobis parare barathrum eos video, qui cum Galeno sententiam Platonis amplectuntur. Ajunt enim 1. Basiliscum solo intuitu hominem necare, quod fieri non posset, nisi radij sive spiritus venenosi oculum ipsius egrederentur. 2. Magnitudinem montis alicujus vel turris ad angustum pupillæ foramine recipi non posse. 3. aequaliter omnes videre sequi, si visio fiat per specierum receptionem.

V. An barathrum istud facile vitare poterimus, si modo observemus, Basiliscum si necat, non videndo, sed exhalando venenosos



nos spiritus necare, ideoq; primum argumentum nos non ferit, quia falsum dicit. Neq; secundum, quia non ipsam rem sensilem, sed ejus speciem in oculi pupillā recipi statuimus. Elicienda species ē materia atq; in ocalum deferenda. Scalig. exerc. 289. sect. 16. Tertiū & postremū argumentū ipse diluit Scaliger loco jam citato.

### Theorema XI.

Auditus est sensus exterior, objectum audibile percipiens. Arist. lib. 2 de anima c. 8.

I. Ejus objectum est τὸ ἀκρόν, ut est sonus, qui ex collisione corporum duū solidorum oritur. Arist. ibid. t. 78. Medium auditus partim est aër, partim aqua. Aër tamen magis, quam aqua. Scal. exer. 61. sect. 4. Organum est auris. Arist. lib. 2. de anima t. 83.

### Theorema XII.

Odoratus est sensus exterior, objectum odorabile percipiens. Arist. lib. 2. de anima c. 9.

I. Ejus objectum est odor, qualitas corporis mixti ex sicco sapido cum humido temperato orta. Arist. lib. de sen. c. 5. Ex hac definitione constat, nullum odorem vim habere nutriendi, ut quidam falsò sibi persuadent, quia nullum accidens nutrit. Medium etiam est tam aër quam aqua. Arist. lib. 2. de anima c. 9. t. 97. & lib. de sen. c. 5. Organum odoratus est nasus. Idem ibid.

II. Dubitatur autem, utrum homo cetera animantia, an contra hac illum odoratu vincant. Certè absonum videtur, hominē creaturarum omnium nobilissimam, à brutis quoad sensus vinci: Et tamen inficias ire haud possumus, quin quadam è longinquo, & res etiam minimas olfaciant, quod testimonio vulturum & canum perspicuum est, è quibus illi cadaver etiam remotissimum: hi dominorum suorum plantas & vestigia odore exquirunt. Imò non odoratu tantum, sed & reliquis sensibus bruta hominem vincere Scaliger ostendit exer. 247. Vulpibus assignat auditum. Gustu tam egregie (dicit) gallina valent, ut sine succi expressione ulla,



statim qua rostro vel levissimè tetigerint, digna indignave senti-  
ant, ut ab ipsis essentur. De aquila nulla est controversia, si cum  
ejus videndi facultate humanus oculus comparatur. Sed ipse pro  
tollendo hoc dubio subjungit, excellentiâ vel celeritatis vel receptio-  
nis à brutis hominem vinci: ab homine vero bruta judicio anteviri.

### Theorema XIII.

Gustus est sensus exterior, objectum gustabile perci-  
piens. Arist. lib. 2. de anima c. 10.

Objectum illius est sapor. Arist. ibid. t. 103. qui est qualitas corporis mixti  
è sicco terrestri cum humido aëreo permixto generat. Idem lib. de sen. c. 4.  
Medium gustus non habet externum. Idem lib. 2. de anima c. 10. t. 101. Sed in-  
ternum, tunicam videlicet linguæ salivali humiditate plenam. Idem ibid.  
t. 104. Organum gustus est ipsa lingua.

### Theorema XIIIII.

Tactus est sensus exterior, objectum tactile percipiens.  
Arist. lib. 2. de anima c. 11.

Tactus objectum est τὸ ἀπὸ τοῦ, quod omnes qualitates tactiles sub se com-  
prehendit. Mediu similiter internu est, non externum, caro. Organu sunt nervi.

### Theorema XV.

Sensus exteriores sunt tres: Sensus communis, Phan-  
tasia & memoria.

1. Sensus communis est sensus interior omnium exteriorum sensuum ob-  
jecta apprehendens, eaq; à se invicem discernens. Phantasia est sensus in-  
terior, rerum sensuum imagines à sensu communi perceptas diligentius exa-  
minans atq; expendens. Memoria est sensus interior, species objectorum sen-  
suum perceptas atq; judicatas recondens ac conservans.

### Theorema XVI.

Sensibus accidunt somnus & vigilia.

Somnus nihil aliud est, quam omnium sensuum exteriorum, & etiam  
sensus communis cessatio. Ut è contra vigilia eorundem ἐνεργεια ac ope-  
ratio.




















306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis & a natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione effectus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document